

PIÈCE JUSTIFICATIVE

Illustrissimo Domino D. Claudio a Sancto Georgio Archiepiscopo et Primati Lugdunensi.

F. Johannes Mabillon S. P. D.

Mihi nostri ordinis Annales prosequenti occurrit non levis difficultas circa seriem archiepiscoporum Primatialis tuæ Ecclesiæ, illustrissime Archipræsul, de quâ si bene meministi, non ita pridem te consulebam, ut pro eximia tua eruditione tenebris meis lucem afferres.

Inter magnos istius sedis antistites illustris fuit Hugo S. R. E. legatus, ex Diensi episcopo creatus archiepiscopus Lugdunensis, quem anno MCVI. Segusii mortuum fuisse constat, cum ad Guastallense concilium, jussu Paschalis II convocatum, proficisceretur.

Quæstio inter nos erat, quis ei in sede Lugdunensi successisset.

Ante annum MDCX receptissima omnium sententia erat Jocerannum seu Gaucerannum (nam ejus nomen varie scribitur) Athanacensem abbatem successorem fuisse. Verum prædicto anno cum vir suscipiendæ memoriæ et eruditionis Jacobus Sirmundus soc. Jesu lumen, aliam sententiam iniisset in notis ad epistolas Goffridi abbatis Vindocinensis et inter Hugonem et Jocerannum interposuisset Johannem, omnes ejus judicio pro summa tanti viri auctoritate subscripserunt.

Sirmundi sententia nititur duabus epistolis Yvonis, episcopi Carnutensis, nimirum CCXXXVI et CCXXXVII, quarum prima *Joanni Lugdunensis primæ sedis archiepiscopo* et Daimberto Senonensi inscripta est; alteram Daimberto scribit ipse *Joannes prima Lugdunensis sedis archiepiscopus*. Ex his Sirmundus in notis ad lib. II epistolam XVIII Goffridi abbatis qui in reditu ex urbe Roma Lugduni a domno primati Lugdunensi et a tota ecclesia ejus se multum honorifice susceptum fuisse dicit, Sirmundus, inquam, observat id intelligendum de Johanne Hugonis successore, quem mirum est, inquit, ab iis hactenus præteritum fuisse, qui Antistitum Lugdunensium catalogum texuerunt. Sed Johannis archiepiscopi Lugdunensis nomen tempusque vindicari ex his duabus epistolis